


clinetur, in fumum abeat densissimum. Subibat animum statim hoc viso Phænomeno cupiditas experiendi, quid de spiritu hoc fumante in recipiente evacuato futurum esset. Cùm enim aliàs fumi plerumque ab aëris gravioris pondere in sublime exprimantur, & hîc ad fumi hujus sublimationem aëris liberi accessum adeò necessarium esse ex ipso Phænomeno constaret; in promptu erat conjicere, si spiritus idem intra recipiens priùs exhaustum effundi postea demum posset aëre jam nullo aut paucò superstite, fumigationem etiam aut nullam aut paucam futuram esse, siquidem ab aëris non impedito contactu effectus ille præcipuè penderet. Aggressi ergo rem non jucundam solum spectatu sed scitu etiam utilem futuram hoc modo fumus: Ex parvæ tabellæ duobus extremis H & I ereximus duas columnellas HFL & IGK 3. circiter pollicum, & has inter tabellam aliam ope duarum acuum F & G, tanquam cardinum, facillimè mobilem ita libravimus, ut lagenula vitrea DE super hac tabella funiculis firmata, de cætero verò sibi relicta, promptè rotaret, à pondere proprio susque deque versa. Hanc lagenulam, infusis aliquot spiritûs fumantis guttulis, obturaculo ligneo incerato subito munivimus, ut fumus diffundi jam coeptus cohiberetur: Obturaculum in summitate

Fig. 9.



D

fibulam